

96

Lib. I. Cap. IV.

clarat, e. g. *eques*, ut notat *Ammon. loc. citat.* significat compositum quid, quale alias per enunciationem significatur, quod scil. quis infideat equo, sed quia *eques* hoc non declarat explicitè, est & manet incomplexum.

64. Altera divisio est eorum, quæ sunt, seu est ipsarum rerum.

65. Eorum igitur, quæ sunt, juxta *Arist. lib. categ. (1.)* alia de subjecto aliquo dicuntur, sed in subjecto nullo sunt, ut: *homo* de subjecto dicitur, nempe de *aliquo homine*, in subjecto autem nullo est; & huc pertinent omnes substantiæ universales. (2.) alia in subjecto autem quidem sunt de subjecto autem nullo dicuntur, e. g. *hæc scientia* in subjecto est, de nullo autem subjecto dicitur, cum sit singulare quid, & huc pertinent omnia accidentia singularia. (3.) alia de subjecto dicuntur, & in subjecto sunt, e. g. *scientia*. Huc referenda sunt accidentia universalis. (4.) alia nec in subjecto sunt, nec de subjecto aliquo dicuntur, e. g. *Alexander, Johannes*, atque huc referendæ sunt substantiæ singulares.

66. Nota, 1, Subjectum, cujus hæc mentio fit,